



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventuræ Episcopi Cardinalis Albanensis,  
Seraph. Doctoris Ecclesiæ, Speculum Disciplinæ, Et  
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>  
Bonaventura <Heiliger>**

**Antverpiæ, 1591**

Quòd vitia se esse virtutes mentiuntur. Cap. LI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

*Quòd vitia se esse virtutes mentiuntur.*

## CAP. LI.

**E**T quia virtus tam nobilis & venerabilis omnibus & præ omnibus est, quòd etiam vitiosi eam super omnia venerantur: ideo & vitia quandoque se virtutes esse mentiuntur, & velamen virtutis assumunt; vt aut securius diffimulentur & non arguantur; aut etiam laudem virtutis assequantur. Vnde videmus ea quandoque etiam à quibusdam religiosis & studiosè exerceri, & ex auctoritate quasi pro virtute defendi: ita vt vera virtus eis in aliis quandoque displiceat, & eam pro vitio despiciant & impugnent, & interpretentur esse vitium quòd virtus pura est. & econtrariò virtutem asserant quod est verè vitium, sed virtutis colore velatum. verbi gratia: Paupertas spiritus, id est, voluntaria pro Christo paupertas, magna & vera virtus est, quam multi religiosi profitentur: & tamen videmus plures sub prætextu necessitatis, pietatis, & honestatis diuitias desiderare in pecunia, in prædiis, in ædificiis, vestitu & victu, & libris, & aliis quæ vere diuitiæ reputantur; ita vt satiari nequeant: quia etiam si quod cupiunt haberent, si quis plus offerret, acciperet plus, vsque ad magnam quantitatem, quia non dicerent sufficit, nolimus plus habere. Econtrà parcè viuere & paucis esse contentum, tenacitas & auaritia appellatur, quasi non audeant vti his quæ habent. Silentium tristitia appellatur, maturitas amaritudo, zelus iustitiæ temerarium iudicium dicitur. Quies deuotionis, pigritia vocatur. Corporis castigatio indiscretio censetur. Simplicitas stultitia creditur. Timor Dei, litigiosa conscientia aestimatur. Fugere publicum, singularitas

318 S. BONAVENTURAE  
 gularitas vocatur. Cauere scandalum, hypocri-  
 tis iudicatur. Ecce quomodo virtus proscribi-  
 tur, & peruersè vitium interpretatur. Econ-  
 uersò autem plerunque dissolutio, socialis iu-  
 cunditas puratur. Curiositas ædificiorum &  
 librorum, & aliorum, honestas habetur. Laxa  
 conscientia, libertas deputatur. Corpus deli-  
 catè fouere, discretio reputatur. Garrulitas, af-  
 fabilitas dicitur. Inuidia fraterna, zelus iusti-  
 tiæ dicitur. Duritia & inclementia, rigor ordi-  
 nis putatur. Avaritia acquirendi, prouisio fide-  
 lis nuncupatur. Astutia, prudentia nominatur.  
 Elatio, auctoritatis ostensio monstratur, ze-  
 lus & contentio, ordinis defensio appellatur.  
 Iactantia de bonis, ædificatio proximi vult vi-  
 deri. Detractio, detestatio vitij, alterius vult  
 putari. Conformitas vitiosa, vult credi fuga  
 singularitatis: & torpor negligentia vult hu-  
 militas videri. Pusillanimitas altiora se non  
 querere. Inquietudo euagandi & negociandi,  
 vult agilitas dici bene operandi. Prodigalitas,  
 largitas vult videri. Et sic de alijs. Sciendum  
 itaque est, quòd discretio spiritus medium vir-  
 tutis iter eligit, nò declinàs ad dexterã vel ad  
 sinistram, regia gradiens via, ne dicat bonum  
 malum, vel malum bonum, ponendo lucem  
 tenebras, & tenebras lucem, diuidès diem vir-  
 tutis à nocte vitiorum: ne angelum satanae  
 pro Angelo lucis recipiat, verũ à falso distin-  
 guens, & quod bonum est tenens.

Ma. 5, 20

*De castitate.*

CAP. LII.

Vide D.  
 Hieron. in  
 illud ad  
 Tit. 1. Opus  
 Epist.

**C**ASTITAS est sobrietatis filia, & nutri-  
 tur ab ea, sicut econtrariò luxuria nutri-  
 tur à ventris ingluuie. Membra enim genita-  
 lia sub ventre posita, ex eius redundancia in  
 libidi-